



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Annales Episcoporum Slesvicensium**

**Cypræus, Johann Adolph**

**Coloniæ Agrippinæ, 1634**

Capvt XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

cati in totâ Daniâ habuerat, amisit. Rex tamen præpropera ac immatura morte præuentus, Archiepiscopi confirmationem, & reformationem à Pontifice factam oculis suis non vidit, atque perspexit, vt qui peregrè in Cypro mortem obierit. Eo autem peregrinante & absente, Ascherus & electus, & à Pontifice confirmatus fuit. Qui & post, Episcopos à se ordinatos, & confirmatos, in Ducatum Slesuicensem misit, vt & ipsius Successores, quemadmodum suo loco ostendemus.

---

C A P V T X I X.

**H**Ac ferè ætate, anno scilicet 1066. plus minus, floruit Ansverus, vir singulari pietate & eruditione præditus. (*Metrop. f. 70. Helm. 21.*) De quo nobis hic aliquid dicendum est, quòd illustre ac insigne hoc decus Patria nostra vrbs Slesuicensis tulerit nobisque dederit. Ansverus nobili genere prognatus, Patre Osvaldo Equite strenuo, & Matre Agnete, & quidem Slesuici in ædibus illis, quæ plateam (Caninam vulgò dictâ,) ingredientibus ad sinistram sese offerunt, (quas nunc, quando ego hæc ad posteritatem transmittò, Bernhardus Soltovv Quæstor Ducalis Gottorhensis possidet, quemadmodum constanti fama ad nos perlatum est. Annos natus quindecim, hæres futurus paternorum bonorum, parentibus inuitis & reclamantibus, totum se literarum sacrarum studijs dedit. Quæ tamen studia initio nascentis Ecclesiæ in his oris fere neglecta & contempta iacebant, etiamsi Slesuicum ciuitas Saxonum Transalbinorum, vt eam *Helmoldus* & alij nominant, opulentissima, & populosissima

sissima esset. Itaque relicta Patriâ, & parentibus, Ra-  
 ceburgum profectus, idq; hortatu Rudolphi Episc.  
 Slesuicensis, Cœnobium S. Georgij ingressus est: vbi  
 eo tempore inter Paganos, Idololâtras, Monachi or-  
 dinis Benedictini viuebant. Vbi cum plusculum tem-  
 poris exegisset, Christianæ doctrinæ fundamentis  
 perceptis, ad Religionis professionem sese admitti  
 petijt. Quod cum impetrasset, assumpto religioso  
 habitu, tantos in studijs literarum progressus fecit,  
 vt inter viros doctos Principem locum obtineret, vi-  
 ræq; sanctimonia & exemplo cunctis præiret. Sacris  
 initiatus, & ad Sacerdotium promotus, totus con-  
 templationi rerum diuinarum, ardentibus precibus  
 insistens, cor & corpus suum feruenti deuotione in  
 sacrificium Deo offerebat, & lachrymis litabat. Cum-  
 que Monasterij Abbas vel Rector è viuis sublatus  
 esset, ipse cunctis Collegarum suffragijs, vnanimique  
 omnium voto ac desiderio, Abbas creatus ac designa-  
 tus fuit, nomen ac officium boni Pastoris consequu-  
 tus. In quo munere ita se gessit, vt magnam apud  
 omnes laudem inuenerit, vt qui gregem sibi commis-  
 sum non tantum verbo, sed & exemplo erudiret &  
 regeret. Collegas verò delinquentes & peccantes ita  
 correxit, vt nec rigore & asperitate eos planè pessum-  
 daret, nec nimiam facilitate eorum erratis indulgen-  
 do coniueret. Sed & verbum Dei in Slauia, quæ  
 nondum ad Christum conuersa erat, publicauit, &  
 docuit, vnà cum Collegis & fratribus, quos viginti  
 octo fuisse memoriæ proditum est, & plurimos ad  
 Religionem conuertit. Qua de causa in odium Sla-  
 uorum primariorum, qui à Religione Christianâ ab-  
 horrebant, adductus, vnà cum Collegis summo in  
 discrimine aliquamdiu vixit, quoad Slau, qui inuete-  
 ratum Dæmonum cultum aboleri nolebant, impetu  
 in Monasterium facto, Ansyverum vnà cum Collegis

comprehensos in Monte non procul à Monasterio sito apud *Rinsberg* lapidauerunt. (*Ada. cap. II. lib. 4.*) Ansvverus veritus, ne Collegæ ipsius, terrore supplicij fracti ac perterrefacti, religione abnegata iterum deficerent, ab ijs, qui eos lapidaturi erant, cum ad supplicium duceretur, precibus contendit, vt prius quam ipse lapidibus obrueretur, de Collegis sumeretur supplicium, quò fortitudine & constantiâ Christianorum Martyrum, malè de Religione sentientes pudore ac ignominia suffunderentur, certa que fide ac indubitata spe contra coronæ gloriæ breui indispicendæ non exciderent collegæ, nec pusillanimitate sua Slauorum diffidentiam auerent, Religionemq; deridendam propinarent. Quibus trucidatis, ipse in genua prouolutus, exemplo Stephani, Deo animam commendauit, & tradidit, magnâ cum hilaritate. Atque ita testibus *Annal. fol. 130. Ada. cap. II. lib. 4. & Helmoldo lib. I. cap. 22. & 23.* Idibus Iulij Martyrij decora sibi peperere. Quo die & eorum memoriam celebrant Maiores nostri. Ansvveri brachium adhuc *Siadij* in Ecclesia Beatæ Mariæ exstare & conseruari dicitur. (*Crantz. lib. 4. Metropolis.*) Ad eius sepulchrum cæcos visum recepisse, & alia miracula edita esse, virtute & Clementiâ Seruatoris nostri, Antiquitas memoriæ prodidit, quod nos, vt constanti fama ac indubitata fide à maioribus ac progenitoribus nostris accepimus, ita ad posteros Fide ac verò transmittimus.

Quanto autem honore ac veneratione, memoria Sanctissimi ac Gloriosissimi martyris Ansvveri, in Ecclesia celebrata fuerit, ex Breuiario nostro Slesuicensi, à Reuerendo nec non Nobili ac Generoso Domino, *Godschalco de Aleuelde* (vt ante dictum) edito, aperte colligitur, vbi cum totum vitæ eius curriculum, & beatum ac gloriosum eius Martyrium prolixè describatur: non inutile operæ ac laboris pretium

me facturum existimaui, si in Viri huius sanctissimi, de Ecclesia Christi præclare meriti, & popularis nostri Slesuicensis, æterna laude digni, sempiternam memoriam, verba ex præfato Breuiario deprompta, huic historiæ insererem.

Præmittitur autem primum more consueto Oratio. *Adesto Pater gloria nobis, vt victoria laudes tuorum Martyrum, digne possimus promere, Ansueri & eius Sociorum.*

*Cordis ex secretario, gens omnis simphonizat:*

*Nam in tormento vario, Ansuerus stephanizat.*

*Cœleste viridarium, iocunde tunc stipatur.*

*Cum felix per Martyrium, hic mundus irrigatur.*

*Auete sancti Martyres, Ansueri comitina:*

*Orate, ne nos flebiles mors tangat recidiua.*

*Sancte Ansuere, Martyr Dei inclyte,*

*Cum tuis consortibus, Ora pro nobis, quaesumus.*

Item:

*Pange terra Holsacia, Nobilis & Generosa:*

*Nam de tua progenie, prodijt rubens rosa:*

*Ansuerus, qui nobiliter ex te generatur:*

*Per quem ineffabiliter multa mirabilia Deus operatur:*

*Ex cuius odoris fragrantia, tota redundat Slauia.*

Sequitur Elogium. *S. Ansuerus, innocens ab infantia, māfuetus in pueritia, sobrius in adolescentia, secutus parentum vestigia, tantis virtutum moribus est adornatus, vt vsque etatem virilem, qua perfecte vixerat, propter suæ perfectionis culmen, possit Beato Iob comparari.*

Oratio. *Deus, qui Beatum Ansuerum sociosq; eius, gloriosissimo Prothomartyri tuo Stephano in passione coequasti: concede propitius, vt eorum meritis & intercessionibus, à tormentis perpetuis liberemur & ad vitam perueniamus æternam.*

*Regi regum Domino, venite iubilantes:*

*Qui sanctos in martyrio, confortat agonizantes.*

H 5

Hym-

## Hymnus.

Æterna Christi gloria de Martyrum victoria,  
 Laudetur cum tripudio, in cordium pallacio.  
 Cultores vineæ Dei, in charitate flammæ.  
 Ansuerus nam cum socijs, sunt iuncti cæli incolis.  
 Pro fletu transitorio, vescuntur cæli gaudio.  
 Quorum nobis precatio, sit mentis iubilatio.  
 Laudemus Patrem omnium, laudemus sanctum Spiritum  
 Trinum & vnum Deum.

## Alius:

Ansuerus in consilio non abiit prauorum:  
 Quapropter nunc collegio sortitur Beatorum. Ps. 1.  
 Cur in Sanctos Domini, gentes fremuerunt,  
 Quos nece valde flebili, flebiliter strauerunt. Ps. 2.  
 Inuocantes Domine, sanctos exaudisti,  
 Quos in tuo nomine, pati voluisti. Ps. Cum inuocarem.  
 Descriptio vitæ eiusdem ortus, progressus, ac exitus  
 ex eodem Breuiario.

B. ANSVERVVS Nobili prosapia, videlicet ex Patre  
 Osvaldo, milite strenuo, & matre Agneta progenitus: de  
 Ciuitate Slesuicensi fuit oriundus. Ipso namque tempore,  
 sicut ex Hamburgensi colligitur Cronica, Slesvick, ciuitas  
 Saxonum transalbianorum, quæ sita est in consinio Danici  
 Regni, opulentissima atque populosissima, ex improviso, pa-  
 ganorum incurso funditus est excisa. Ansuerus spreuit Sco-  
 riam terrene dignitatis, vt vsurparet gloriam cælestis Ciui-  
 tatis. Dereliquit patriam iuuentutis flore, adeptus castimo-  
 niam sub Benedicti more. Elegit abiectus esse in domo Dei sui  
 magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hic B.  
 Ansuerus, cum quindecim esset annorum, & hereditatis pa-  
 ternæ speraretur futurus hæres, parentibus inuitis, literarum  
 anhelauit studiis erudiri. A patria igitur & parentibus  
 discedens, declinauit viam suam, bono duce Spiritu, ad Cæ-  
 nobium sancti Gregorij in Ratzeborch, in quo tunc temporis  
 inter

inter paganos, idololatrias, degebant Monachi Ordinis sancti  
Benedicti.

*Vt rosa vel lilium, constipat viridarium,  
Sic equali forma*

*Per Osvaldi filium, fulcitur Monasterium,  
Sub Benedicti norma.*

*Sicut nouella plantationes à iuuentute sua.*

Consideratis vero mundi blanditijs, quæ nullum durabile præstant subsidium, aliâq; fortuna secularis despiciens, prædictum adiit monasterium, & feruenti desiderio ad Religionem se recipi postulauit. Deo itaq; volente, qui omnia quæ vult, facit & disponit, postulata faciliter impetrauit.

*Eia Rachel sponsa Christi, militans Ecclesia.*

*Quæ tot proles edidisti, quot ad cœli gaudia*

*Animas tu transtulisti, per tormentorum genera.*

*Quorum neces tu fleuisti, per sancta desideria.*

*Filij tui sicut nouella Oliuarum in circuitu mensæ tuæ.*

*Bonæ voluntatis scuto coronasti Domine.*

*Quos ex huius mundi luto, extraxisti hodie.*

*Ex ore patientium, vis Christe collaudari.*

*Vt virtus innocentium, possit comprobari.*

*In Dei tabernaculo habitat Ansuerus.*

*Qui in Slaorum populo, fuit Doctor verus.*

In eodem autem Monasterio habitu indutus religioso, proficiebat super coæuos suos, qui secum scholis inerant, tam literarum studijs, quam virtutum exercitijs. Ad Sacerdotium denique promotus, mira deuotione contemplatiuus, lachrymosis orationibus insistens, cor & corpus suum sedulè Deo in sacrificium offerebat. Et inter Missarum solennia, crebra meruit reuelatione diuina consolari.

*In Patrem dum eligitur Ansuerus, vir discretus,*

*Ex hoc non erigitur in corde, sed mansuetus,*

*In pietatis opere permansit indefessus.*

*Quod docuit summopere alios, est aggressus.*

Hic

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Tandem dicti Monasterij Abbate defuncto, concordia fratrum electione, sanctus Ansuerus Abbas effectus, nomen & rem boni pastoris est affecutus. Rexit namque gregem sibi commissum, verbo & exemplo. Delinquentes fratres ita corripuit, vt nec nimis rigidus eos subuerteret, nec, præter modum remissus, eos in errore confoueret. O sacratissimi amatores Trinitatis Deificæ, Abraham in montis radice tres viros vidit, & vnum adorauit, sic Ansuerus ex vno ore tres simul & semel, emisit melodias: Abraham vidit tres viros: tres vidit & vnum adorauit, sic Ansuerus.

Cum ergo sanctus Pater Ansuerus, cum 28. fratribus suis, verbum Dei fiducialiter per Slauiam predicaret, & plurimos ad fidem conuerteret, indignati Magnates, ipsos in monte non remoto à monasterio lapidauerunt. S. Ansuerus, cum ad passionem veniret, supplicauit persecutoribus, vt prius focij, quos deficere metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum B. Stephano genua posuit, & ipsius patrocina inuocans, lapidatus animam reddidit suo creatori. Ad cuius sepulchrum cæci illuminati sunt, & multa miracula operatur clementia nostri Saluatoris.

Sicut non potest ciuitas in monte celari.

Sic & nequit sanctitas in sanctis occultari.

Hoc in Ansueropanditur sancto sufficienter.

Cui de cælo mittitur virga non latenter

In cereumq; vertitur valde competenter.

A Domino factum est istud & mirabile in oculis nostris.

In te sperantes, hos & pro te morientes

Cælorum Domine, conseruabis benedicte.

In mundo, corde permanserunt sine sorde.

In terra Domini consistunt ergo locandi.

Pro plebis facinore te Christe deprecantur.

Qui in suo sanguine pro te rubricantur.

O militantis Ecclesie capitanei fortissimi.

O triumphantis militia phaleratores.

S. Ansuere cum tuis sociis hos precibus vestris defendite.

Quos in vestro seruitio humiliter cognoscitis permanere.

Apud Christum patrociniis vestris adiuuemur semper.

Ex terrenis inquilinis fiunt ciues cœlici,

Dum necantur à lupinis viris. viri angelici.

Per quos Slauī sunt doctrinis docti rosis Mellici,

Et erepti à latrinis carceribus Eumenici.

Vindica Domine sanguinem tuorum qui effusus est.

Eia vos triumphatores pro nobis intercedite,

Et peruersitatis mores in nobis corrigite:

Vt adiutos vestra prece, Deus creator omnium,

Et ablutos ab hac fece perducatur in Empyreum.

Apud Christum vota nostra promouete precibus.

Pracinctus fortitudine Dominus regnavit.

Item:

Qui suos pulchritudine sanctos decorauit.

Seruiet iubilo Deo plebs fidelis:

Qui sanctos à periculo liberat & à pœnis:

Adhaeserunt Domino martyrium sitientes;

Cuius in seruitio steterunt vigilantes,

Sancti & humiles corde hymnum dicite Deo, Halleluia.

In collegio sanctorum laudetur Rex eorum.

Rex gloriose Martyrium, remunerator omnium. Item:

Qui sanctos per Martyrium perducis in Empyreum,

Rubescit in Slauonia Flos, quem diuina gratia

Extraxit ex Holsatia, quem triuit gens incredula.

Hic in pueritia, subiecit cuncta vitia:

Sub benedicti Regula, vixit in castimonia.

Quod experiens æmulus castitatis Diabolus.

Hunc contra sanctum stimulus tumultuauit plurimis!

In Abbatem eligitur, quod vir iustus renititur.

Sed victus prece populi, suscepit iugum Domini.

Trinitati sit gloria, per cuius beneficia,

Ansuerus his cum sociis tantis claruit miraculis:

Amen.

Gaude

Gaude Ratzeburgensis Ecclesia, diuinitus inspecta,  
 A Deitatis clementia, medullitus electa;  
 Quæ Sanctorum sanguine pulchre rubricaris,  
 Quorum nunc iuuamine mire gubernaris.  
 Mirantur ciues cœlici, & spiritus tartarei,  
 Stupent, quod hac fragilis natura, sit tam agilis,  
 Quod cum tanta gloria, in passionis victoria,  
 Ad cœli transit gaudia.  
 O Ansuere vir Nobilis, cum quater septem sociis,  
 Pro nobis preces fundere, velis & intendere,  
 Quod annuis deuotionibus, tua festa recolimus. Et hæc  
 Breuiarium.

## CAPVT XX.

NICOLAUS Bonus Rex Danie 75. cum Vandalis, quibus  
 Slesuicum depopulati sunt, vario confligit Martè: à Ciuibus  
 Slesuicensibus populari tumultu in Arce circa plateam  
 Cespitum sita cæsus. Anno 1135.

Asscherus Præsul Danorum magnus, in oris  
 Gunnerum nostris misit adesse pium.  
 Anxius à Slauis obsessa viuit in Vrbe,  
 Dum pulsant Ciues inuida tela bonos.

**A**NNO 1072. Gunnerus natione Danus, ab  
 Anschero primo Archiepisco Lundensi  
 ordinatus & consecratus est, qui Episco-  
 patum Slesuicensem administraret. Hic  
 spectator fuit eius cladis & calamitatis, quam Sles-  
 uicum vrbs maximam accepit, vt qui id temporis  
 dum vrbs Slesuicensis à Slauis obsideretur in ea vixe-  
 rit. Causam & occasionem autem huic calamitati  
 præbuit, Controuersia inter Danorum Regem Ni-  
 colaum, & Henricum Principem Slauorum God-  
 scalci